

## Les Bibliothèques Virtuelles Humanistes

Extrait de la convention établie avec les établissements partenaires :

- ces établissements autorisent la numérisation des ouvrages dont ils sont dépositaires (fonds d'Etat ou autres) sous réserve du respect des conditions de conservation et de manipulation des documents anciens ou fragiles. Ils en conservent la propriété et le copyright, et les images résultant de la numérisation seront dûment référencées.
- le travail effectué par les laboratoires étant considéré comme une « œuvre » (numérisation, traitement des images, description des ouvrages, constitution de la base de données, gestion technique et administrative du serveur), il relève aussi du droit de la propriété intellectuelle et toute utilisation ou reproduction est soumise à autorisation.
- toute utilisation commerciale restera soumise à autorisation particulière demandée par l'éditeur aux établissements détenteurs des droits (que ce soit pour un ouvrage édité sur papier ou une autre base de données).
- les bases de données sont déposées auprès des services juridiques compétents.



# PRECATIO

DOMINICA IN SEPTEM

portiones distributa per

D. Erasmus Rote=  
rodamum.



BASILEAE APVD IO. BEB.



DE S. ERASMVS ROTERODAMVS  
Iodoco Ludouico Vuiſſenburgensi ſereniſſ. Poſ-  
loniæ regis à ſecretis, & oratori S. D.

**N**ON abs re multis iam ſeculis Mimo illi  
applauditur, uir abſolutiſſime: Rogan-  
do cogit, qui rogaſ potentior. Verum iſ  
haud ſcio, an in quenquam magis com-  
petat quam in te, qui tam eruditæ epiftolæ, munus tā  
elegans addideris, idq; ſic è longinquo miſſum, ut rea-  
cuſare non liceret, niſi uoluifsem abijcere. Quid autē  
nō dicam à me, qui ſum plus ſatis expugnabilis, ſed à  
quantuſis etiā diſſicili, non extorqueat talis epiftola,  
tot machinis ad expugnandū animū inſtructa, bla-  
dicijs petax, argumentis urgens, eruditione perſtrin-  
gens, eloquētia rapiens: ſed nulla re uiolentior, q; mi-  
ra quadā & amabili modeſtia, quæ tantū apud me uas-  
let, ut non ſolū hanc rem & facilem & piām, uerum  
etiam aliiquid iniquiū impetrare potuerit. Mox igi-  
tur ut tuæ mihi redditæ ſunt literæ, redditæ ſunt autē  
ſerius, hoc eſt, ſub Calendas Septembres, arrepto ca-  
lamo praefiti quod uolebas. Erit hoc qualecunq; &  
noſtræ amicitiæ, et meæ erga Polonicā, aut ſi priſco  
uocabulo magis caperis, Sarmaticā gentē, beneuolen-  
tiæ felix auſpiciū. Genti gratulor, quæ quum olim ob  
barbariē male audierit, nunc & literis, & legibus, &  
moribus, & religione, & ſi quid aliud eſt, quod à  
Barbariē probro uindictet, ſic floreat, ut cū præci-

## P R E C A T I O D O M I N I C A

puis ac laudatissimis nationibus certare posset. Quan-  
quam et olim quoniam inter feros ac barbaros censerentur Sarmatae, tamen a morum censore iuuenale, integritatis nomine prelati sunt cultissimis Atheniensibus: Neque Sarmata, inquit, nec Thrax, qui sumpsit pennas, medijs sed natus Athenis. Ne commemorem interim ditionis amplitudinem, Russos etiam albos, et Lituanos complectentis, quibus omnibus latissime imperat a Vistula flumine ad Tauricam Chersonesum, a mari Balthico ad Carpathum montem Sigismundus rex, quoniam omnibus magno principe dignis dotibus excellens, tum multis ac magnis ex hoste Tartaro Moscog; relatis uictorijs clarus, quibus haud scio an ultae magis fuerint necessariae tuendis Christianae ditios limitibus. Verum haec alias fortasse tempestiuus dicentur. Nunc accipe precationem dominicam, in septem partes digestam, ut et tu iubebas, et ab aliis facti statum uideo, quamquam mihi duae postremae: Et ne nos inducas in temptationem, sed libera nos a malo: nichil rectius uidentur distractae, quam si quis ex proxima: Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris: duas facere uelit. Quod si tua pietati parum erit septem dicibus totam absoluere, potes, quod etiam a maioribus uideo factum, singulos dies in septem precandi tempora partiri. Bene uale. Basileae, nono Calend. Nouemb. Ann. M. D.

XXIII.

Domine doce nos orare. Lucæ.xi.



A ij



PRECATIO DOMINICA DIGE  
sta in septem parteis, iuxta septem dies, per  
D. Erasmus Roterodamum.

Pater.



Vdi pater in cœ Die domi-  
lis habitans uota nico.  
filiorū tuorū, cor-  
pore quidem hoc  
mortali adhuc in  
terris harentiū,  
ceterū animis ad  
cœlestem patri-  
am ac domū pa-  
ternam anhelan-  
tiū, ubi intelligūt

sibi repositum theſaurum æternæ felicitatis, hæredia-  
tem uitæ immortalis. Agnoscimus tuam sublimitas-  
tem, conditor, ſeruator, ac moderator omnium quæ in  
cœlis ſunt, & quæ in terris: agnoscimus noſtrā humi-  
litatem. Nec auderemus te patris uocabulo compella-  
re, indigni qui ſerui dicamur tui: nec honorificentissi-  
mum nomē filiorum nobis vindicare, quo nec anges-  
tos tuos dignatus es, niſi tua gratuita bonitas nos in  
huius nominis honorē adoptaſſet. Eramus ſerui pec-

## P R E C A T I O D O M I N I C A

cati, infelicitè geniti ex Adā: eramus filij satanæ, cuius spiritu ad omne flagitiorū genus agebamur. Sed tu nostri misertus per unigenitum filium tuum Iesum exemisti nos à seruitute peccati: emancipasti à patre diabolo: uindicasti ab æterni ignis hæreditate: ac per fidem & baptismum in filij tui corpus insitos, adoptare dignatus es, & in nominis, & in hæreditatis cōsortiū. Ac ne quid diffideremus tuæ erga nos pietati, ueluti pignus quoddā tuæ erga nos charitatis, cœlitus immisisti in animos nostros spiritum filij tui, qui propulsato timore seruili, non ueretur in cordibus nostris assidue clamare: Abba pater. Docuit & hoc nos filius tuus, per quē nobis largiris omnia, ut iam tuo spiritu renati, posteaquam in baptismo renunci auimus patri diabolo, posteaquam desimus habere patrem in terris, solum patrem cœlestem agnoscemus, cuius potentia cōditi sumus, quū nihil eſsemus: cuius bonitate restituti sumus, quū periſſemus: cuius sapiētia gubernamur & cōseruamur, ne reuoluamur in exitiū. Addidit ille tui cōpellandi fiduciā: præscripsit precandi formulā. Agnosce filij tui precationē: agnosce filij tui sp̄iritum, te pro nobis per nos interpellantem. Nō dēdignaberis ab his appellari pater, quos filius tuus, tui simillimus, dignatus est appellare fratres. Nō est quur nobis placeamus, sed est quur tuam filijq; tui benignitatem glorificemus, quum nihil hic sibi uindicare possint nostra merita, sed totū.

PER ERAS. ROTEROD.

hoc tuæ gratuitæ sit liberalitatis. Placuerunt tibi magis charitatis & pietatis uocabula, quam timoris: pater audire manis, quam dominus. Redamari preoptas à filijs, quam à seruis timeri. Amasti prior, & hoc ipsum tui muneris est, quod te redamamus. Audi pater spirituum, filios tuos spirituales, te in spiritu adorantes. Talibus enim adoratoribus delectari te, docuit nos filius tuus, in hoc abs te missus in mundū, ut doceret nos omnē ueritatē. Audi uota cōcordiae. Nō enim conuenit, ut inter fratres, quos tua bonitas æquauit in honore gratuito, ambitione, contentione, odio, liuore inter se se dissideat. Omnes ex eodē patre pendemus, oēs eadē petimus. Nec sibi quisq; peculi a riter rogat aliquid, sed uelut unius corporis mēbra, eodē animata spiritu, qđ in cōmune omnibus expedit, postulamus. Nec enim auderemus aliud abs te petere qđ quod iuſſit filius tuus: nec auderemus aliter petere, qđ ille præscripsit. Sic enim potentibus promisit filius tuus fore, ut quicquid peteremus in ipsius nomine, impetraremus. Quoniam autem quum dominus noster Iesus filius tuus ageret in terris, nihil ardentioribus uotis exoptauit, quam ut nomen sanctū tur nomen tuum non solum in Iudea, sed per uniuersas orbis na tiones inclaresceret: nos quoq; huius & hortatu & exemplo flagratiibus desiderijs optamus, ut adorandi nominis tui gloria cœlum ac terram impleat, ut omnis creatura tremat tuā ineuitabilem pontentiā,

N  
O  
S  
T  
E  
R

# P R E C A T I O D O M I N I C A .

ueneretur æternam tuā sapientiam, amet ineffabilem  
bonitatē. Tua quidem gloria ut immensa, ita nec ini-  
tiū habens, nec finem habitura, semper florēs in se:.  
neq; crescere potest, neq; decrescere: sed humani ges-  
neris refert, ut illa cunctis innotescat. Nobis enim uia-  
ta æterna est, nouisse tē solum uerū deum, & quē mis-  
sistī, Iesum Christum. Tui nominis splendor obscus-  
ret & extinguat in nobis omnem humanam gloriam.  
Ne quisquam sit, qui sibi uel minimam aliquam glo-  
riæ portionē ausit usurpare. Nam gloria quæ est ex=  
trate, uera est ignominia. Efficit hoc pietas naturæ  
in filijs iuxta carnem progenitis, ut ingenti affectu  
desiderent honestam famam parentum suorū. Vide=  
mus quām gestiant gaudio, quām exultent, quām sibi  
placeant, si contingat aliquis egregius honos his un=  
de prognati sunt: puta si triumphus, si statua in foro  
cum honorifica inscriptione, si principatus. Parentis  
enim gloriam pro sua ducunt. Rursum quām mœrēt,  
quām deiiciuntur animo, si quid ignominiae contingen-  
t at inuri nomini paterno. Adeo penitus inseuit hoc  
animis hominū naturæ affectus, ut parentes in filijs,  
& filij glorientur in parentibus. At nos, quo uehemen-  
tior est pietas diuina, quām affectus humanus, hoc ar-  
dentius sitimus tui nominis gloriam, ac discutiamur  
unice, si, cui soli debetur oīs gloria, ignominia affi-  
ciatur. Nō, quod ullo probro possit inquinari tuæ glo-  
riæ splendor, sed quod ad nos attinet, quodammodo

PER ERAS. ROTEROD.

fit iniuria tuo nomini, quū gentes uel ignorato uel cōtempo rerū omnium conditore, uenerantur & adorant cōtemptissimas etiā creaturas, ueluti saxeas aut ligneas, aut coloribus fucatas, imagines, boues, arietes, simias, porrū, cepe, & in his omnibus impuros dæmones. His ueluti dijs canuntur hymni, immolantur uictime, incendūtur thura. Hæc uidentes filij tui, discutiamur duplīci nomine: & quod tu fraudaris debita gloria, & quod illi miseri pereunt sua demencia. Quin & Iudæi nō desinunt in synagogis suis filium tuū unicū abominandis probris afficere. Quicquid autē probri confertur in filiuū tuum unicū Iesum, qui splendor est tuæ glorie, in te confertur. Nobis probri loco impingunt gloriosum cognomē filij tui, ignominiosius ducentes, appellari Christianū, quam furem aut homicidam: nobis exprobrant crucē filij tui, quæ nostra est gloria. Nos hoc tuæ debemus misericordiæ, quod te salutis omnis autorem agnoscimus, quod tibi æqualem filiuū tuum adoramus, quod utriusq; sp̄iritum hausimus. Misereatur & istorū tua clementia pater cœlestis, ut gentes relicte simulacrum cultu, te solum uenerentur: Iudæi relicta superstitione legis, sp̄iritu tuo docti, si agnoscunt deū, ex quo omnia: agnoscant & dei filium, per quem omnia: agnoscant & sp̄iritū sanctum, diuinæ naturæ cōfors tem: in tribus personis adorent eandē maiestatē, & in simplici essentia agnoscant triplicem personarū

## P R E C A T I O D O M I N I C A

proprietatem: ut omnis natio, omnis lingua, omnis, sexus, omnis ætas ubiq; consentiat in gloriam et laudem tui sanctissimi nominis. Utinam autem et nos, qui filij tui uocamus, apud hos qui te ignorant, non sumus de honestamento tuae glorie. Quemadmodum enim gloria patris est filius sapiens, ita filij degeneres ignominia conciliant parentibus suis. Non est autem germanus filius, qui pro sua uirili non imitatur ingenii ac mores patris sui. Filius tuus Iesus germanissimus est filius, quia perfectissima est imago patris, quem totū refert ac repræsentat. Nos qui adoptio ne, nō natura filij sumus, conformantes nos ad exemplum filij tui, pro uiribus accedere conamus ad aliquam tui similitudinem: ut quemadmodum perfectissime glorificatus es in filio tuo, ita pro modulo nostræ imbecillitatis glorificeris et in nobis. Glorificaris autem, si mundus conficiat nos iuxta filij tui doctrinam uiuentes, te super omnia diligentes, si proximum perinde ut nosipso diligimus: diligentes, si bene uolentes, qui nobis uolunt male: bene facientes, qui nobis male faciunt. Hæc enim nos docuit filius tuus, prouocans ad imitationem patris cœlestis, qui solem suum iubet oriri super bonos ac malos. Quantū autem dedecus inuehunc gloriæ tuae, qui quū Christiani uocentur, furantur, mœchantur, litigant, belligerantur, ambiunt, ulciscuntur, fraudant, peierant per adorandum nomen tuum, nō nun-

PER ERAS. ROTEROD.

quam ex blasphemis incessunt: uentrem habent pro deo: te contempto, Mammonæ seruiunt. Nam hominum uulgaris deum ex ipsius cultoribus aestimat. Etenim quū uident tui nominis professores impie uiuentes, dicunt: Valeat ille deus, qui tales habet cultores: ualeat ille dominus, qui tales habet seruos: ualeat ille pater, qui tales habet filios: ualeat ille rex, qui tales habet populu. Eoq; filius tuus nos docuit, ut quemadmodum ipse et uiuens et moriens glorificauit non men tuum, ita nos quoq; pro nostro modulo castis et inculpatis moribus gloriam tui nominis illustremus. Luceat, inquit, lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, et glorificant patrem uestrum qui in cœlis est. In nobis o pater cœlestis nihil est lucis, nisi fuerit abs te profectum, qui perennis es fons omnis luminis: nec ex nobis quicquam profici sci potest bonorum operum. Itaq; tua bonitas in nobis operetur, tua lux in nobis luceat, quemadmodum lucet in rebus omnibus abs te conditis, æterna tua potentia, inscrutabilis sapiëtia, inæstimabilis benignitas, quam præcipue tamen erga genus humanum declarare uoluisti. Itaq; quocunq; uertimus oculos, omnia canunt nominis tui gloriam. Aetherei spiritus die noctuq; regem suum laudibus celebrant. Iam hæc tam admiranda cœlorum fabrica quam suspicimus, elemorum discors concordia, stati maris accessus ac decessus, fontium scatebræ, perennes amnium cursus,

# P R E C A T I O   D O M I N I C A

tot rerum, tot arborum, herbarum & animantium sp̄c̄ies, ac singulis quibusq; sua quædam uis insita, ut magnes ferrum attrahat, herbæ morbis præsens remedium adferant. Hæc, inquam, omnia quid aliud nobis loquuntur, quam nominis tui gloriam & te solū esse uerum deū, solum æternum, solum immortalem, solum potentem, solum sapientem, solum bonum, solum misericordem, solum iustum, solum ueracem, solum admirabilem, solum amabilem, solum adorandum. Inuiriāt facit tuo glorioso nomini pater, qui ex his titulis, qui tibi soli debentur, quicquam sibi decerpit. Nā si quid harum uirtutū in nobis est, id omne abs tua proficisciatur munificentia. Da igitur pater, ut undique glorificetur nomen tuū. Reluceat & in moribus nostris, non minus quam in angelis cæterisq; rebus abs te conditis, tui nominis gloria: ut quemadmodum qui mundum hunc contemplantur, ex admirabili opificio colligunt opificis magnitudinem: ita qui te non norunt, exemplo nostro cōmoti, & suā agnoscant turpitudinem, & tuam admirentur benignitatem: & hac ratione conuersi, simul nobiscū glorificant sanctissimum nomen tuum, ac filij tui Iesu,

& ab utroq; proficiscētis spiritus

sancti, quibus ex aequo de-

betur omnis gloria p

omnia secula.

Amen.



Adueniat regnum tuum.

**P**ater cœlestis, autor, cōditor, cōseruator,  
instaurator, ex gubernator omniū quæq;  
in cœlis sunt, quæq; in terris: à quo uno  
manat omnis autoritas, potestas, regnū, imperium,  
Die lunc.

# PRECATIO DOMINICA

et conditis et non conditis, uisibilibus pariter et  
inuisibilibus: cui cœlum thronus est, cui terra scabel-  
lum pedum, cui sceptrum æterna atque immobilis uo-  
luntas, cui nulla potentia potest resistere: olim per  
prophetas tuo spiritu afflatos pollicitus es tuis ad sa-  
lutem humani generis regnum quoddam spirituale, quod  
in te renatos assereret in libertate, exemptos à tyran-  
nide diaboli, qui iam pridē regnabat in hoc mundo.  
peccatis obnoxio: et ad hoc regnum asserendum filium  
tuū unigenitū è cœlis in terras mittere dignatus es,  
qui nos morte sua redemptos, è seruis diaboli, redde-  
ret filios dei. Nam et Euangelicam doctrinam suam,  
dum in terris esset, solitus est appellare regnum cœ-  
lorū, et regnum dei, quod occultum et inter nos abdi-  
tum esse docuit. Optat et illud tui filij, uotisq; ardē-  
tibus flagitant, ut hoc regnum quod dominus noster  
Iesus cœpit tibi vindicare, indies magis ac magis se-  
se proferat, et quotidie latius propagetur in terris,  
donec illud tibi plenum et integrum tradat idem filius  
tuus, subiectis omnibus, quos æterna tua uoluntas  
huic regno destinarat: sublataq; iam omni rebellione  
spirituum ac malorum cupiditatū, quæ nunc quoq; mi-  
litant aduersus maiestatem tuam, tu etq; reipublicæ  
tranquillitatē infestant, undiq; pacatum ac tranquillum  
sit regnum tuum. Adhuc enim mundus hic omnibus  
machinis oppugnat filios tuos, mortali corpore onu-  
stos: adhuc humanæ cupiditates, ueterisq; peccati  
reliquiae

PER ERAS. ROTEROD.

reliquiae rebellionem molitur aduersus spiritum, ad  
huc noxijs spiritus, quos tu ē ciuitate tua cœlesti de-  
turbasti, ē sublimi aëre telis igneis impetunt, quos tu  
gratuita tua bonitate ex huius mundi regno selectos;  
cooptasti in regnum tuū filij tui cohæredes. Da pater  
omnipotēs, ut quos tua pietas semel à peccati tyran-  
nide liberatos, tuoq; regno asscriptos esse uoluit, eius  
dem tuae pietatis beneficio persistat in libertate sua:  
neq; quisquā abs te, filioq; tuo deficiens, reuoluatur  
in diaboli tyrannidem. Ita fiet, ut et nos feliciter per  
filium tuū regnemus in te, et tu ad nominis tui glo-  
riam regnes in nobis: Tua enim gloria, nostra erit fe-  
licitas: et nostra felicitas, tua erit benignitas. Do-  
cuit nos filius tuus Iesus, huius mundi regnum cōtemne-  
re, quod opibus, quod satellitio, qd' copijs et armis  
constat, quod fasti, uiolentiaq; geritur, quod crudeli-  
tate et paratur et defenditur. Nam ille spiritu cœ-  
lesti uicit impiū spiritū, huius mundi principem, in-  
nocentia superauit peccatum, mansuetudine uicit ferō-  
ciam, per summā ignominia recuperauit aeternā glo-  
riam, per mortem restituit uitam, per crucem de spi-  
ritibus impijs egit triumphū. Sic mirabiliter bellastis,  
sic uicisti, sic triumphas ac regnas pater in filio tuo  
Iesu, per quem nos in huius regni consortiū allegisti:  
Sic regnas ac triumphas in sanctis martyribus tuis;  
in castis virginibus tuis, in incorruptis confessoribus  
tuis. Nec enim illi suis viribus aut presidijs uicerunt

B

# PRECATIO DOMINICA

tyrannorum saevitiam, aut carnis lasciuiam, aut huā  
ius mundi malitiam: sed tuus spiritus, quem illis ima-  
pertire dignatus es, ad tui nominis gloriā, et ad hu-  
mani generis salutem hæc omnia cœpit, prouexit,  
ac perfecit. Optamus ut in nobis quoque semper ef-  
florescat regnum tuum, qui tametsi non ædimus mi-  
racula, quoniam tempus aut res non exigit, si non  
includimur, excruciamur, secamur, urimur, suffigi-  
mur in crucem, demergimur in mare, aut decolla-  
mur: tamen illustrabitur et in nobis uis ac splendor  
tui regni, si mundus consenserit nos tui spiritus præ-  
sidijs invictos aduersus omnes insultus satanæ, aduer-  
sus carnem ad ea quæ sunt inimica spiritui solicitan-  
tem, aduersus mundum omni machinarū genere pro-  
uocantem, ut deficiamus à fiducia, quam semel in te  
fiximus. Quoties amore tui spredo huius mundi re-  
gno, sequimur promissa regni cœlestis, quoties reie-  
cto mammona, unicum illud margaritum euangelicū  
amplectimur: quoties repudiatis omnibus, quæ iu-  
xta carnem ad tempus dulcia uidentur, æternæ felicē-  
tatis spe, omnia quamuis dura, fortiter perpetimur:  
quoties uehementissimos naturæ affictus, et ea quæ  
nobis sunt charissima, ueluti parentes, liberos, uxo-  
rem, cognatos amore tui negligimus: quoties cōpri-  
mentes æstus iracundiae, pro conuicio sermonē ami-  
cum, pro maleficio beneficium tui respectu rependim-  
us; toties debellas in nobis regnū satanæ, ac tui re-

gni potentiam aperis. Sic uisum est pater tuæ sapientia, ut hac graui perpetuaq; colluctatione uirtutem tuorum & exerceres & confirmares. Auge uires filii tuis, ut semper è prælio discedant firmiores, ac paulatim imminutis aduersariorum opibus, tu indiges magis ac magis regnes in nobis. Sed nondum tuo iugo pater optime totus mundus ceruicem submisit.

Multas nationes adhuc occupat tyrannus ille Sataanas. Nondum est unum ouile, & unus pastor, quod futurum expectamus, Iudeis etiam in regnum euangelicum se se aggregantibus. Multis adhuc ignotum est, quanta libertas sit, quanta dignitas sit, quanta felicitas, tuo cœlesti regno subiici: & ideo malunt esse mancipia diaboli, quam filij tui, cohæredes Iesu, sortes regni cœlestis. Et inter hos quoque, qui nunc intra ecclesiæ tuæ mœnia uersantur, tuiq; regni insigne præse ferunt, heu non parum multi sunt, qui conspirant cum aduersario: regniq; tui gloriam, quod in ipsis est, dedecorant, ac robur labefactant.

Optamus igitur unice tempus illud, quod tibi soli notum esse uoluisti, quo iuxta filij tui promissum, misericordia angelii tui purgabunt aream ecclesiæ tuæ, ac sublatis zizanijs purum triticum colligent in horreum, ac de regno tuo tollent omnia scandala, quum iam nec erit fames, nec pauperitas, nec nuditas, nec morbus, nec mors, nec persequitor, nec ullū omnino malum, aut mali metus, sed totum corpus unigeniti tui simul

# P R E C A T I O D O M I N I C A

agglomeratū capiti suo, regni cœlestis felicissimo cōsortio perfruatur. Qui uero interim diabolo tyrano seruire maluerint, cū suo domino supplicijs æternis addicentur. Nimirū hoc est regnū Israël, quod Iesu Christo filio tuo relicturo terras, et ad te reddituro discipulū mature restitui postulabant. Reddidisti cœlum ab omni rebellione tranquillū, eiecto Luciferō cum sua factione. Sic olim resuscitatis in uitā corporibus hominū, separabis oues ab hœdis: et qui regnū euangelicū hic pro sua uirili sunt amplexi, ad æterni regni possessionem inuitabuntur, quod illis destinat tua bonitas ante conditū mundū. Hunc diem à filio tuo Iesu promissum, optamus pater in cœlis habitans ac regnans, filij tui in terris, hoc est, in exilio habitantes, grauati hoc domicilio terreni corporis, et ingemiscentes, quod interim obnoxij multis incombmodis distrahimur à tuo consortio: unde nobis tum deniq; perfecta felicitas proficietur, quum aperta iam facie uidebimus regem ac patrem nostrū in decore gloriæ suæ. Hanc fiduciā non nobis præbent nostra merita, quæ scimus esse nulla: sed tua benignitas, quæ filiū totū nobis impedit, quæ spiritū cœlestē uelut aragonē huius hæreditatis impartit. Quod se dederis, ut constanter perseueremus in filio tuo Iesu, non poteris nos à regni tui consortio seiungere: cui cum eodem filio et spiritu sancto debetur omnis honor, decus, et gloria in æterna secula. Amen.

D.



Fiat uoluntas tua.

**P**ater aetor ac moderator omnium, quos Die Mars  
tuus filius agnoscit fratres : agnoscit au-  
tis. tem quicunq; syncera fide nomen ipsius  
in baptismo profesi sunt, clamant è ter-  
ris filij tui ad te cœlos inhabitantem, et ab omni res-

B iij

## P R E C A T I O D O M I N I C A

rum conditariū mutabilitate procul semotū: optantes quidem uenire in consortium regni tui cœlestis, quod nullo malorum admixtu uitiatum erit: sed intelligunt ad eam tranquillitatē nō recipiendos, nisi qui hic interim pijs studijs meditātur esse, quod illic futuri sunt. Idem enim regnum est, eadem ciuitas cœlestium ac terrestrium, nisi quod hic interim colluctatio graui: est cum carne, cum mundo, cum satana. Et isthic tametsi non est quod cruciet, aut contaminet felicitaten beatorū spirituū, est tamen quod ad consummationē felicitatis desideretur: nimirū ut omnia filij tui membra colligantur in unū, totumq; corpus purum & integrū suo iungatur capiti. Itaq; fiet, ut neq; Christus ullum suorū membrorū desideret, nec animæ piorum desiderent sua corpora: quæ ut in terris habuerant consortia afflictionū, ita cupiūt in cœlis à gaudiorū consortio non separari. Porro regni cœlestis concordiam hic in terris meditantur, qui qd diu uersantur in mortali corpore, uelut germani & obedientes filij, student ea facere, quæ tua dictatuas luntas, non ad quæ sollicitat cupiditas: non diuidi- cantes quare tu hoc aut illud uolueris, sed satis habēas quod ita sit tua uoluntas, quem sibi persuasum habent nihil uelle, nisi quod est optimum. Quæ sit au- tem uoluntas tua, ex unigenito filio tuo didicimus. Ille uoluntati tuae fuit obediens usque ad mortem, ex hoc vocem nobis depropmpsit: Pater, si fieri potest

PER ERAS. ROTEROD.


transfer à me poculum hoc : ueruntamen fiat quod  
tu uis, non quod ego : ut iam pudeat quemuis homi-  
nem suam uoluntatem præferre tuæ . Habet caro uo-  
luntatem suam, quam tenere deamat homo : habet  
mundus uoluntatem suam: habet satanas uoluntatem  
suam à tua multum diuersam. Caro enim cōcupiscit  
aduersus spiritum, quem nobis impertisti : et mūdus  
solicitat ad amorem rerum fluxarum : et satanas  
iult ea, quæ pertrahunt homines in æternū exitium.  
Nec satis est in baptismo nos esse professos fore dicto  
audientes tuis iussis, ac renunciasse imperio satanæ,  
nisi per omnem uitam cōstanter id præstemus, quod  
sumus professi. Sed hoc præstare non possumus, nisi  
tu vires addideris conantibus : ut iam non nostra uo-  
luntas, sed tua pater in nobis operetur, quod tua sa-  
pientia iudicauit esse optimum. Qui carni uiuunt, tē  
bi mortui sunt, et iam filij tui nō sunt. Quin et filijs  
tuis quandiu corpus hoc terrenū circūferimus, subim  
de negotiū faceb̄it carnis uoluntas, tuæ præire gesti-  
ens. Da ut semper tua uincat uoluntas, siue mori nos  
uis, siue uiuere: siue affligi, ut corrigamur : siue sub-  
levari, ut tuæ benignitati gratias agamus. Satanæ uo-  
luntatem sequuntur, qui sacrificant idolis, qui con-  
uicijs incessunt adorandū filium tuū Iesum, qui diffi-  
dunt illius promissis, qui rebellionem parat Euange-  
lio, qui per inuidiam exitiū moliuntur proximo, qui  
per fas, per nefas in hoc mundo properant ditescere,

# P R E C A T I O D O M I N I C A

qui fœdis uoluptatibus inquinantur. At tua uoluntas  
est, et corpus et animū habere purum et castum ab  
omnibus inquinamentis huius seculi; tuū, filijq; tui  
honorem anteponere cæteris omnibus: nemini ira-  
sci, nemini inuidere, neminem ulcisci, sed pro male-  
factis rependere beneficium: deniq; famem, exilium,  
carcerem, cruciatus, mortē perpeti citius, q; à tua san-  
cta uoluntate discedere. Hoc ut indies magis ac ma-  
gis præstare ualeamus, adiuua pater cœlestis, ut in-  
dies caro minus reluctetur spiritui nostro, ut spiritus  
nostrer magis ac magis unanimis fiat spiritui tuo. Et  
quemadmodū nunc multis in locis parent uoluntati  
tue, qui obediūt Euangeliō filij tui, ita idem fiat per  
uniuersum terrarū orbem, ut omnes intelligent te so-  
lum esse rerū omnīū monarcham, tuisq; diuinis legi-  
bus uolentes ac lubentes obedient in terris, quemada-  
modū in cœlis nullus est, qui tuæ uoluntati repugnet.  
Nec possumus efficaciter uelle quod tu uis, nisi tuā di-  
uina uoluntas nos attraxerit. Iubes ut tuæ morē gera-  
mus uoluntati: neq; enim filiorū nomen promerebi-  
mur, nisi paternis iussis per omnia fuerimus obsequē-  
tes. Sed tua pietas, quæ nos nihil promeritos ad hoc  
honoris adoptare dignata est, eadem dignabitur et  
promptā et constantem largiri uoluntatem, ne qua  
in re diuinæ uoluntatis tuæ præscriptū prætergredia-  
mur: sed mortificata carne nostra tuo spiritu aga-  
mur ad omnia quæ pia sunt, grataq; oculis tuis: ut et

PER ERAS. ROTEROD.

tu pater agnoscas filios non degeneres, & filius tuus  
agnoscat fratres germanos, hoc est, uterq; suū in nō-  
bis agnoscat beneficium, quibus est communis cum  
spiritu sancto gloria in æterna secula. Amen.



Panem nostrum.

B 7

## P R E C A T I O D O M I N I C A

Die Mar  
tis.

Ater noster cœlestis, qui tua ineffabile  
benignitate largiter pascis omnia, quæ  
mirabiliter condidisti, prospice & no-  
bis tuis filiis in cœlestem familiam sele-  
ctis, & ex te pendentibus, spiritualem ac cœlestem  
alimoniā: ut tuæ uoluntati seruientes, adolescamus  
& grandescamus quotidianis uirtutum auctib⁹, do-  
nec iuxta naturæ nostræ modulum perueniamus ad  
perfectum robur plenitudinis, quæ est in Christo Ie-  
su. Filij huius mundi quandiu non sunt abdicati, sed  
parentibus utuntur propicijs, non sunt solliciti de ui-  
tu, nimirum prospiciente ipsis benignitate paterna.  
Nos autem multo minus sollicitos esse conuenit, quos  
Iesus filius tuus docuit abiçere omnē solicitudinem  
crastini: confirmans patrem tam opulentū, tam bes-  
nignum, tam amantem; cui tantopere curæ sumus,  
non cōmissurum, ut quum passerculis etiam uagis de-  
uictu prospiciat: quū lilia pratensis tanto decore ue-  
stiat, nobis ad filiorū honorem cooptatis uestis desit  
aut cibus corporis. Sed illa potius omnibus neglectis  
querenda, quæ pertinent ad regnum tuum, eiusq; iusti-  
tiam. Neq; enim tibi placet iustitia pharisæorū, quæ  
carnalis est, quum tui regni iustitia spiritualis syncea-  
ra fide constet, & charitate non ficta. Non magnum  
est tuæ largitati corpusculum hoc pane frumentitio  
pascere, quod etiam si non pereat fame, tamen mora-  
bo, senio, alio ue casu breui sit peritum: sed filij

PER ERAS. ROTEROD.

spirituales à patre spirituum spiritualem illum ac cœlestem panem flagitamus, per quem uere uiuimus omnes, qui filij tui uere nominamur. Is est sermo tuus omnipotens uitæ largitor & altor, quem nobis de cœlo mittere dignatus es fame pereuntibus. Nō enim explebat animum nostrum panis philosophorū aut pharisæorum: sed panis ille tuus, quem nobis misisti, uitam reddidit mortuis: de quo quisquis ederit, non morietur in æternum. Per hunc panem reuiximus, per hunc alimur ac saginamur, & adolescimus ad perfectum robur spiritus. Hic nobis quotidie trahiendus in animæ uiscera: nec salutaris est, nisi tu pater quotidie dederis. Corpus unigeniti tui panis est, cuius participes sunt omnes, qui uersantur in magna domo tua, quæ est ecclesia. Vnus panis est, omnium cœmunis, quæadmodū & nos unū corpus sumus, constans ex membris diuersis, sed eodem spiritu uergetatis. Verū hic quanq; ab omnibus sumitur, multis tamen adfert mortem. Non enim adfert uitā, nisi tu dederis quotidie, addens tuæ gratiæ cœlestis condimentū, ut sumentibus sit salubris. Veritas est filius tuus, & ueritas euangelica panis est, quem nobis reliquit in alimoniâ spiritualem. Et hic panis multis amaruis est, qui animi palatū febri malarū cupiditatū habent infectū. qd' si tu pater eū porrexeris, suauis erit, reficiet afflictos, eriget collapsos, robur addet infirmis, eriget pusillos, deniq; & uitā cōferet æternam.

P.R E C A T I O . D O M I N I C A .

Quoniā autem infirmitas humanae naturae semper  
in deterius prolabitur: quoniā animus quotidie mul-  
tis impeditur arietibus: quotidie tuo pane filios con-  
firmes oportet, impares alioqui futuros tot tam uali-  
dis hostibus, tot assaultibus, tot terriculamentis. Quis  
enim ferat esse mundi ludibrium, relegari, protrudi-  
in carcerem, uinciri, damnari, torqueri, exui facul-  
tatibus, spoliari uxore charissima, ac dulcissimis libe-  
ris: deniq; crudeli morte perimi, nisi fuerit tuō cœle-  
sti pane subinde confirmatus? Qui docet euangelia  
cum sermonem, porrigit nobis hunc panem: sed frus-  
stra porrigit, nisi tu dederis. Complures sumunt cor-  
pus filij tui: complures audiunt sermonem euangeli-  
cum, sed nihilo uegetiores discedunt, quam uenerāt:  
propterea quod nō promerentur, ut tu: pater illis por-  
rigas inuisibiliter. Hunc igitur panem benignissime  
pater, impari filijs tuis quotidie, donec eo uesti con-  
tinget in mensa tua cœlesti, quæ regni filios feliciter  
explebit perenni copia ueritatis æternæ, qua perfaci  
perfecta felicitas est, nesciens desiderium alterius  
rei, siue quæ in cœl is est, siue quæ in terris. In te enim  
uno sunt omnia, & extra te nihil est, quod sit expre-  
tendum, qui cum filio tuo Iesu, cumq; spiritu sancto  
uiuis & regnas in omnia secula. Amen.

PER ERAS. ROTEROD.



Et remitte nobis.

St quidem illud tuæ uoluntatis pater cœ  
lestis, autor pacis, & amator cōcordiæ,  
ut filij tui, quos tua bonitas tot unanimi  
tatis uinculis copulauit, quos eodem ani  
mas spiritu, eodem baptismo purgas, in eadem do-



# PRECATIO DOMINICA

mo quæ est ecclesia socias, cōmunibus ecclesiæ sacra  
mentis fones, ad eandem hæreditatem regni cœlestis  
ex æquo uocasti, quo sint firmiores, in tua familia ue  
uant unanimes, neq; quicq; diſſidij sit inter eiusdem  
corporis membra, sed mutua charitate copulentur:  
tamen quoniam adhuc mortale corpus circunferūt,  
fieri uix potest, quin per imbecillitatē naturæ quæ  
dam incident offendæ, quæ fraternæ concordiae sere  
nitatem, si non extinguant, certe obnubilent, extin  
eturæ tandem, ni tua clementia quotidie condonet  
quotidie peccantibus. Quoties autem fratres nostros  
offendimus, offendimus et te pater, qui iuſſisti, ut  
proximū nostrum non secus diligamus, quam nosia  
psos. Sed filius tuus non ignorans imbecillitatē mem  
brorum suorū, et huic malo cōmonstrauit remediū,  
in certam spem uocans nos, fore ut tua clementia re  
mittat nobis peccata nostra, si nos uiciſſim ex animo  
condonauerimus, quod frater peccauit in nos. Est au  
tem æquissima impetrandæ ueniæ conditio, quā præ  
scripsit filius tuus Iesus. Etenim qua tandem fronte de  
precatur uindictā patris, qui leuem offensam in fra  
tre suo parat ulcisci? Quo tandem ore tibi dicit: re  
mitte iram, quum ipse perseveret irasci proximo?  
Qua fiducia se iactat membrū filij tui, qui quum ima  
munis esset ab omni delicto, te pro parricidis in cru  
ce deprecatus est, ut ignosceres, qui ipse peccatis ob  
noxius nō uult ignoscere fratri, in quem et ipse sub\*

inde peccat: ut hic sit potius mutua uenia permulta  
tio, quam ignoscens? Ingratum est oculis tuis sacri  
ficium, quod offert irae memor, et concordiae sarcien  
de negligens. Ita nos docuit filius tuus, etiam ad al  
tare relicto munere, properandum ad fraternae pacis  
reconciliationem. En pater optime, sequimur quod  
tuus docuit filius, imitamur quod ille praestitit, si ag  
noscis a filio prescriptam conditionem (nec dubium  
est quin agnoscas) largire quæsumus cuius ille spem  
certam nobis prebuit. Sic ille nos iubet orare, neque se  
mel confirmauit nos exoraturos, quicquid abs te in  
ipsius nomine peteremus. Prebuit ille petendi fiduci  
am, tu per illum largire potentibus uenientem. Agnoscimus  
imbecillitatem nostram, et hinc intelligimus quo  
turpidinis essemus plapsuri, nisi tua custodia nos  
arceret a uitios grauioribus. Et hanc ipsam infirmita  
tem tua pietas reliquit in nobis aduersus insolentiae  
periculum, remedium. Quotidie labimur, ut quotidie  
tuam glorificemus clementiam. Da pater, ut possis  
mus ex animo condonare fratribus nostris, ut concor  
des inter nos te semper habeamus propicum: et si  
quid offendimus, sicut offendimus frequenter in mul  
tis, emendet nos tua paterna correctio: modo ne ab  
dices, modo ne exhæredes, modo ne coniicias in  
gehennam. Semel in baptismo condonasti pecca  
ta omnia, non erat istuc satis erga nos pietas,  
quotidianis etiam filiorum tuorum delictis ostend

P R E C A T I O   D O M I N I C Ā

disti certum ac paratum remediū. Pro quo tuā beni-  
gnitati gratias agimus, qui per filium tuum ac sp̄iri-  
tum sanctum tantis beneficijs nos dignaris in gloriā  
sanctissimi tui nominis perennem. Amen.



Et ne nos

Et ne nos inducas in temptationem.

**P**ATER noster cœlos inhabitās, quan- Die Ves-  
quam nihil est quod te propicio uehe= neris.  
menter extimescimus, & mutua charia-  
tas nos filios tuos firmiores reddit ad-  
uersus omnem malorum incursum: tamē consideran-  
tes humanæ naturæ imbecillitatem, & incerti, quos  
tua bonitas dignos iudicet, ut ipsos in amore tui con-  
firmet usque ad huius uitæ finem, in qua quandiu uer-  
samur, mille modis sollicitamur ad ruinam, non pos-  
sumus esse securi. Tota hæc uita undiq; diaboli la-  
queis est plena. Nusquam ceſsat tentator ille, qui non  
ueritus est & filium tuū Iesum technis suis aggredi.  
Reputamus quoſ satanæ machinis impetus fit ser-  
uus tuus Iob. Recordamur Saulem prius electum,  
post reiectum à conspectu tuo. Meminimus Dauid,  
qui dictus erat uir secundū cor tuum, eò turpitudiniſ  
pertractum, ut adulterium homicidio copularet. Vi-  
demus Solomonem, cui in principio regni dederas fa-  
pientiam ultra mortales omneis, eò dementiæ perdu-  
ctum, ut peregrinis simulacris immolaret. Venit in-  
mentem, quid acciderit apostolorum tuorum princi-  
pi, qui fortem usque ad mortis societatē animū pro-  
feſsus, ter dominū suum abiurauit. Hæc atque huius-  
modi multa cum consideramus, non possumus non  
horrescere temptationis periculū. Atq; in hoc metu nos

# PRECATIO DOMINICA

qua paterna pietas esse perpetuo uoluit, ne dormitantes & oscitantes inciperemus nostris praesidijs fidei: sed iugiter aduersus tentatoris assultus, sobrietate, uigilantia, precatione nos muniremus, ut nec hostem prouocaremus, memores imbecillitatis uirium nostrarum, & tamen aduersus ingruentem tentationis procellam infractis animis consistamus, tuo freti praesidio, sine quo nihil possumus. Pateris tu quidem nonnunquam incidere temptationes, uel ut explores, spectataneque redditis tuorum tolerantiam, quemadmodum tentatus est Iob & Abraham: uel ut huiusmodi flagellis castiges & emedes delicta nostra: Sed quoties id pateris, rogamus, ut idem temptationis facias felicem exitum, ac uires impartias ponderi malorum irruentium pares. Ingens periculum est, quoties intentatur bonorum direptio, exilium, probra, carcer, uincula, diri cruciatus corporum, mortes horrendae. Sed non minus discriminis est a prosperitate blandaente, quam ab aduersis terrorem ingerentibus. Caudut a dextris pariter ac sinistris innumeri. Alij metu pœnarum territi sacrificant daemonijs: alijs fracti malis, blasphemys afficiunt adorandum nomen tuum. Rursus alij uenenato poculo felicitatis mundanæ inebriati, spretis tuis dotibus, reuoluuntur in uolutationem cœni prioris: uelut Euagelicus ille filius, qui producta cum scortis omni paterna substantia, eò misericordie perdactus est, ut porcis etiam suas siliquas inui-

PER ERAS. ROTEROD.

deret. Scimus aduersarium nihil in nos posse, nisi tu  
permiseris. Proinde non recusamus obijci quicuscumque  
periculis, modo tua clementia et aduersarij insultum  
et nostras vires modereris. Sic enim fiet, ut etiam se  
quando fuerimus inferiores in congreßu, tamen hoc  
tua sapientia uertat in bonum nostrum. Sic uicit filius  
tuus semper adorandus satanam, sic carnem, sic mun-  
dum, ut quim maxime uideretur oppressus,  
triumpharet maxime. Ac nobis ille pugna-  
uit, nobis uicit, nobis triumphauit.

Vincamus et nos illius ex exemplo,

tuo praesidio per spiritum

sanctum ab utroque proa-

deuntem in oia.

sæcula.

Amen.

C. 9

PRECATIO DOMINICA



## Sed libera nos à malo.



A T E R omnipotens, tua gratuita beni Die Saba  
 gnitas nos semel à peccatis expiatos, ab batū.  
 impurissimo patre diabolo liberauit p  
 Iesum Christum filium tuum, et in ho  
 norem nominis ac hæreditatis adoptauit: sed ita, ut  
 quandiu uersamur in terris, perpetua lucta sit cum  
 hoste, nihil non moliente, ut nos quibus inuidet tuum  
 beneficium, in suum ius retrahat. Horrescimus ani  
 mo, quoties recordamur, quām fœdum patrem ha  
 buerimus, quum eſsemus mancipia peccati, quām in  
 felici hæreditati fuerimus destinati, quām immitti ser  
 uierimus domino. Nec ignoramus illius obstinatam  
 maliciam, non solum uiribus, sed mille etiam arti  
 bus ac dolis instructam in nostram perniciem. Nū  
 quam dormit, nunquam cessat, sed semper obambus  
 lat, ueluti leo fame rugiens, captans, queritans. ac  
 uenans quem deuoret. Nimirum tui pater est diſsimil  
 limus. Tu enim natura bonus ac beneficus, ouem era  
 raticam reportas ad ouile, morbidā sanas, extinctam  
 ad uitam reuocas, inimicos etiam tuos, blasphemos.  
 in sanctū nomen tuū, amore tuo præuenis, et ad salu  
 tem æternā inuitas. Ille odio insatiabili erga nos, à  
 quibus nunq̄ læsus est, nihil aliud molitur, quām ut  
 quām plurimos secum in exitium pertrahat. Insignis  
 cuiusdam malicie est, gratis nulloq̄ suo commodo

PREC. DOMI. PER. ERAS.

uelle perdere, à quo' quis non est iniuria laceratus.  
At hic suo etiam malo imminet in malum eorum, quos  
tu in tutelam tuam se uocasti. Non tu illum talem cō-  
dideras, sed eò malicie delapsus est, posteaquam sibi  
placens, tuae maiestati subiectus esse noluit. Proinde  
stimulatus inuidia, primos nostri generis parentes,  
arte circumuentos pellexit in mortem, inuidens illis  
paradisi uoluptates, quum ipse sese cœli gaudijs spo-  
liaisset. Nunc etiam acrioribus inuidiae stimulis uria-  
tur, quod paradiſo exclusos subuehis in cœlū: quod  
morti destinatos per fiduciam in Iesum filium tuum  
ad beatam immortalitatem inuitas: quod ipsius eti-  
am maliciam uertis in cumulum tuæ gloriæ, nostræ  
salutis. Proinde quanquam ille multis merito formi-  
dabilis est, tamē consolatur nos tua bonitas: que plus  
potest ad salutem, quam uniuersa illius malicia ad  
perniciem. Agnoscimus nostram imbecillitatem, sed  
nō expauescimus hostis incursum, siue uiuimus siue  
morimur, quandiu te merebimur habere protectorē.  
Non metuimus exitiū ab illo malo, quādiu cōtinget  
Amen. adhærere bono. Hæc uota filiorum tuorum pa-  
ter æterne si pia sunt, si iuxta formam à filio tuo Iea-  
su prescriptam concepta, certa nos habet fi-  
ducia, tuā bonitatē præstaturam quā petimus.

DOMINICAE PRECATIONE

NIS

FINIS.

